

ricordia — —. quae habentur in edit. Cap. III. Itaque plus quam V. Capitibus multatus est, cetera probae et cum Editis conspirantis lectionis.

CXXXV.

- R. 489 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 204. f. per duas columnas bene exaratus et rubricis distinctus est, ut e calce petendum, Magni aurelij cassiodori senatoris jam domino prestante conuersi expositio psalmorum. Tò Conuersi ex aevi usu jam Coenobium Vuarientse, quod ipse construxerat, ingressi intellige. Prima hujus Operis Pars, nescio, quod fatum habuit; altera enim praefens incipit: *Psalmus 91. Psalmus cantici in die Sabbati*, atque hinc usque ad Psalterii finem integre decurrit. Initium est: *Psalmus cantici commonet nos vt in vniuersis actibus nostris diuinitati gratias referre debeamus &c.* Lectio, si cum editione Opp. omn. *Garetiana Rotom. 1679. T. II. p. 311.* conferatur, proba est demtis levibus quibusdam differentiis, puta sub ingressum *opera spiritualia pro operas spirituales, omnem viam suam pro vitam, obseruancias eius pro obseruantiam, opera nostra pro operatio nostra, iudicatur adiunctus pro videatur &c.* sed mox lapsus est Librarius quia trinitatem diuinam pro quaternitatem diuinam scribendo. In calce haec notavit ad historiam: *Temporibus Justiniani Augusti Cassiodorus apud Urbem Romanam claruit. Hic primitus con-*

sul, deinde senator, ad postremum vero monachus extitit. Hoc etiam tempore dyonissus (Exiguus) abbas in vrbe constitutus pascalem calculum composuit, tuncque apud constantinopolim Priscianus grammaticae artis profunda rimatus est, tunc quoque nichilominus arator Romane ecclesie subdyaconus apostolorum actus versibus exarauit. Hec itaque in longobardorum gestis scripta sunt. Ita sane, sed paullo uberius, apud Paulum Diac. L. I. c. 25. in Muratorii Scriptt. Rer. Ital. T. I. p. 421.

CXXXVI.

- U. 128 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 318. f. max. per duas columnas probe et diligenter exaratus, rubricisque insignis, quem, fronteteste, Collegio Ducali quondam dedit *Honorabilis Vir Dominus Johannes Beyzz de Franleytten* oppido Styriae, complectitur vastam *Psalterii et Canticorum Biblicorum Expositionem*, cujus Autorem demum manifestat *Clavula miniata Operis*, quae sic habet: *Explicit Glosa solempnissimi Doctoris Honorij (Augustodun.) solitarij super Psalterium a Johanni Presbitero Cappellano in Rupprechzbhofen scripta ibi idem Anno ab incarnationis domini Millesimo Quadringentesimo Quarto. In die Sixti pape. Deus propicius esto mihi peccatori. Cum mox memoratus Pagus ad Carthusiam Gemnicensem infer. Austriae pertinuerit, et Bern. Pezius T. II. Thes. Anecd. col. 95. Expositionem se-*
leto.

lectorum Psalmorum Honorii e Codice dictae Carthusiae ediderit, credibile fit, Exemplar nostrum Codicis istius *Απογγραφο* esse. Plures alios Codices excitat *Pezius Dissert. Isag.* ad h. T. p. 90. Idem praeter *Psalmos selectos I.* (non X. ut habet *Fabric. Bibl. med. Lat.* edit. *Mans.* L. VIII. p. 279.) L. LI. C. CI. CL. etiam *Prologum Operis* protulit, in quo *Gallicum*, non *Romanum Psalterium* se explanare ait *Honorius*, qui, ut nobis, incipit: *Cristiano patri verbo et exemplo relucenti ut speculum &c.* *Cunonem pro Cristiano* habet, teste *Pezio*, *Codex Mellic.* Sec. XIII. Nos de Parte Operis egimus etiam *Vol. I. P. I. col. 209.*

CXXXVII.

U. 47 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 366. f. per duas columnas diligenter scriptus et rubricis distinctus in folio praevio hanc Notam habet: *Hunc librum pro collegio ducali dedit honorabilis vir dominus Jeronimus de Judenburga hac sub conditione ut prius solueretur una libra denariorum que etiam soluta est Anno domini 1458.* Nihil de hoc Viro in Scriptoribus nostris Academicis. Codex porro ipse continet *Postillas in Psalterium Nicolai* a loco natali, vel stirpe sua de *Gorran*, non *Angli*, vel *Flandri*, ut quibusdam visum, sed *Galli*, ut docent de Sodali suo *Scriptores Ord. Praed.* T. I. p. 437. qui circa an. 1295. obivisse ibidem refertur. Praefatio ita or-
Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

ditur: *Laudationem domini loquetur os meum &c.* *Psalmus I. Beatus vir qui non habijt. Secundum glossam probemiale* totus liber iste *psalmorum in tres partes diuiditur &c.* *Finis vasti Operis: nec dormire poterit nec lassari ad quam patriam nos perducatur ille qui vivit et regnat &c.* Typis nunquam subjectum est; *Exempla tamen mss.* cum in *Scriptt. cit.* tum in *Tanneri Biblioth. Brit. Hib.* liberaliter indicantur. Nostro adjacet ejusmodi *Επιφωνημα*: *Suffragante diuino auxilio eiusque immensa benignitate. nec non gloriose virginis marie cum omnibus sanctis et electis dei. completa sunt haec dicta venerabilis doctoris gorre super psalmos ter quinquagenos David regis sub anno incarnationis domini nostri ihesu christi 1390. currente II. die mensis Octobris siue proxima feria quinta ante festum galli confessoris hora diei 22. et hoc prage.* Quibus addidit manus Sec. XV. Anno 1469. *fridericus 3^o Romanorum Imperator fuit rome cum alias semper esset in stiria in forma tamen peregrini. Eo tempore quidam de suis sibi rebelles facti pemkchiricher (Andr. Paumkircher) et quidam (Johan.) de Stubenberg cum aliis complicitibus (Joh. de Pössing, Nic. de Liechtenstein, Andr. de Greiffenegg) Marpurk, ubi iudeos miserabiliter pressi sunt, Judenburkch et certas alias ciuitates de mane nullo sciente in festo purificationis beate virginis marie obtinuerunt falso et domino absente. Tunc temporis Rex mathias ungarorum contra hereticum*
O Jeor-